

















1701.

1<sup>at</sup> Coccejus, Henricus: De socio criminis. 2 Bupl.

2<sup>at</sup> Coccejus, Henricus: De vero rerum pretio. 2 Bupl.

1701. - 1712.

3<sup>at</sup> Coccejus, Henricus: De fundo hereditario mixto. 2 Bupl.

1701. - 1712.

4. Coccejus, Henricus: De legato rei propriae et alienae

5. Coccejus, Henricus: De cumulatione possessionis et  
pactionis

6<sup>at</sup> Coccejus, Henricus: De eo, quod iustum est circa  
inquisitionem in auctorem rixae, si de occisione  
non constat. 2 Bupl.

7<sup>at</sup> Coccejus, Henricus: De matrimonio momentaneo.  
2 Bupl. 1701. - 1735.

8. Rhodius, Michael: De uxione proles sine praetore.

9. Schultze Hualicki, Johannes: De pretio succedente in communem  
res singulares.



10<sup>a, b</sup>  
= Schulz-Gulecki, Joannes : De legato rei incerta  
matris.

11. Schulz-Gulecki, Joannes : De jurisdictione personalis.

12. Thiele, Joh. Petrus : De jure absentium

13<sup>a, b, c</sup>  
= Thiele, Joh. Petrus : De restitutione hereditatis  
fidei commissariae 3 lempl.

14. Veho, Brenaeus : De mania.

15. Veho, Brenaeus : De arthritide vaga cum  
incipiente phthisi in calculoso



DISSSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

Socio-Criminis,

EX DECRETO ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI JURISCONSULTI ET PRAESIDENTIS  
IN ILLUSTRI H. H. L. S. A. C. A.  
PRAESIDE

DN. HENRICO COCCEJO

JURECONSULTO PAVIMENTISSIMO,  
AVGVST. ET POTENTISS. REGIS IN BOHUSIA  
ET ELECTORS BRANDENBVRG. CONSILIARIO EIDEM  
AC ALEXANDRE CONSIL. FACULT. JURIS  
ORDINARIO, PAVIMENT. PRIMARIO  
CELESTISSIMO.

A UNIVERSITATE RECTORE MAGNIFICO,  
ARDEA

AVGVI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI  
ET COLLEGII RECTORIS ANSISORII IN ALMA MVDI  
RENDENS OBRETAI. PAVIMENT. ET IURE GENI  
PROP. PAVI. ORDIN. MERITISSIMO.

*Pro licentia*

PRO LICENTIA

JOHANNES HENRICUS A BROCK,

Philosophus

Præsentavit et defendit, Eius Licentiam Zueri.





1. Schütz, Johann, ...  
 2. Schütz, Johann, ...  
 3. Thiele, ...  
 4. Thiele, ...  
 5. Kell, ...  
 6. Kell, ...

Caroli





DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 29

*de*  
**Socio Criminis,** 1707, 11a M/ 88

Quam

*Divino Numinis Auspicio*

EX DECRETO ET AUTORITATE

MAGNIFICI JURISCONSULTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRIS HAC VIADRINA,

PRÆSIDE

**DN. HENRICO COCCEJO,**

JURECONSULTO FAMIGERATISSIMO,

AUGUST. ET POTENTISS. REGIS IN BORUSSIA

ET ELECTORIS BRANDENBURG. CONSILIARIO, EIDEMq;

AB AULÆ REGIÆ CONSIL. FACULT. JURID.

ORDINARIO, PROFESS. PRIMARIO

CELEBERRIMO,

h. t. UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,

ANTEA

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI

ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-

BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.

PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

*Dn. Patrono, ac Promotore suo pio cultu aeternum devenerando,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

ritè ac solemniter consequendi

*Die VII. Novembr. An. MDCCI. Horis ante- & Post meridianis.*

Publico Eruditorum Examini submitter

**JOHANNES DIETERICUS à BROCK,**

Lebusi<sup>A</sup>- Marchicus.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.



DE ERITATO JURIBCA INUOLUERE  
Socio Criminalis

DYHENICO COCCIO

RE CARITATIS RECH UND WAZERICO

DE PATENTE DE PRAESENTI IURIS INUOLUERE

JOHANNES DIETRICHUS A BROCK  
I. Schulz-Meister

Erkauft von V. Schuler, aus Christophel Ziegen





**Q**ui mentem & socias jungunt in crimina  
dextras

Hos sociat junctis debita pœna malis,  
Sed socius virtutis honos, sunt præmia dignis,  
Hæc meruisse, illud Te docuisse juvat.

*In honorem Candidati dignissimi*

*L. M. Q. posuit*

P R Æ S E S.

**B**ROKIUS intactus scelerum putredine scri-  
bit

De scelerum *Sociis*. Sic Themis ipsa ju-  
bet.

Nemo potest foedam vitii reprehendere labem,  
Qui maculat proprias impietate manus.

Candidus Æthiopem nigrum accusare Britannus,  
Et Verrem Cicero non sine laude potest.

Te quoque Justitiæ laudes & digna manebunt  
Præmia quæ, BROKI, jure in utroque petis.

Te vitæ integritas summo decorabit honore.  
Cœlestis virtus serpere nescit humi,

At scelerum *socios* detrudet ad intima lethi  
Tartara, cum sparget tela trisulca, DEUS.

Ignis enim Deus est. Aurum discriminat ignis.  
Ille cremat stipulas, pura metalla probat.

*Nobil. & Clariss. Dn. Candidato, Fautori &  
Amico suo optimo ita applaudit*

MARCUS Rhode / D. Cod. Justin.

P. P. Ordin. Facult. Jurid. Senior

& h. t. Decanus.



**D**E scelerum fociis hæc pagina scripta mere-  
tur  
Doctōris Titulum, tergeminumq̄; decus.  
Dedecorat scelerum socios communio pœnæ,  
Peccantes paritèr mors trahit una duos ;  
At Te, justitiæ Socium & Pietatis Alumnum,  
Justitiæ merces, condecorabit honos.

*Honoribus meritis Clariss. Dn. Candidati,  
gratulabundus appl.*

**Th. Siegr. King / D.**  
& Prof. Publ. Ord.

**C**onfortes scelerum complectēris, atq̄; re-  
censes ;  
Quid mirum? facinus, tam probus, omne  
fugis

Pœnas constituis sceleratis, non reus unquam:  
An Tibi turba nocens prospera vota feret?  
Sed nihil adversi fieri Tibi posse putato ;  
Cum Te tutentur virtus, amorq̄; boni.

*Hiscæ propensionem suam erga Doctissimum  
Dominum Candidatum testari voluit*

**JOANNES à SCHULZ SZULECKI,**  
Reg. Maj. Consiliar. & Prof. Publ. Ord.

**A**D Themidis Cathedram magno contendis  
honore,  
Atq̄; doces BROCKI, scelerum contagia quan-  
tas  
Partici-



Participent poenas; Doctoris no mine dignum  
Hoc opus est. Gaudet pietas, at crimina frendent,  
Cumq; suis sociis Tibi vulnera vana minantur.  
Nam Te Justitiæ validissima dextra tuetur,  
Cæcas infidias formidandosq; furores  
Conculcans, tigresq; truces sævosq; leones  
Auctores perimit scelerum sociosq; nefandos,  
Et Tibi sacрати pandit laxa ostia templi,  
Crimina quod nequeunt atro violare veneno,  
In quod, magnifico Phœbi comitante Senatu,  
Et sex lampadibus Tibi prælucentibus, ibis,  
Justitiæ Doctor majorum more creandus.

*Amico suo integerrimo, pro Licentia summos  
in utroq; Jure honores consequendi, gloriose  
ac solenniter disputanti, ita applaudere  
voluit*

MICHAEL RHODE, J. U. D.  
& Prof. Publ. Ord.

**Q**ui dudum *fama* SOCIUS *probitate* fuisti,  
Nunc etiam *Astra* CONSOCIATUS ades.  
Hoc Tua sacрати perfecit pagina Juris,  
Quâ monstras SOCIUM CRIMINIS esse *reum*.  
Gratulor his meritis: quæis ut quandoq; reportes  
Majora, ex animo vota precesq; feram.

*Paucis his sed prolixo affectu Nobilissimo atq;  
Consultissimo Domino Candidato gra-  
tulaturus apposuit*


ARNOLDUS WESENFELD,  
Ration. & Moral. Philos. Prof. Publ. Ord.  
& Facult. Philos. h. t. Decan.



**C**Riminis indigitans foedi sociumq; reumq;  
Te socias doctis, Svarvis Amice viris.

*Paucis his quidem verbis, at prolixo affectu de  
edito praclaro eruditionis specimine para-  
tisq; mox eidem honoribus Clarissimo Do-  
mino Candidato, Amico suo Assumatis  
gratulari voluit*

**TIDO HENRICUS de LIHT,**  
Eloq. Prof. Publ. Ord.







B. C. D.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

DE

SOCIO CRIMINIS.

INGRESSUS.



A est hominum maleficorum natura, ut, si crimen aliquod soli perpetrare nequeant, sui similes in societatem & consortium assumant, qui ipsis consilio auxiliove assistant opemque ferant.

Cum verò Reipubl. maximè interfit eam purgari à talibus quietis publicæ turbatoribus, eorumque societatem inter se initam citissimè dissipari ac exterminari, *L. Congruit. 13. ff. de Offic. Pres.* prudenter & Legibus Civilibus & Criminalibus statutum est, ejusmodi auxiliares unâ cum autore criminis criminaliter & capitaliter aliquando puniendos esse. vid. *Artic. 177. Const. Crim. Car. V.* quo reatus ipsorum excludatur, *L. 1. C. ubi Senat. vel Clariss.* & pœna unius, qui ducem malè egit, metus possit esse multo-  
A rum



2 *Disputatio Juridica Inauguralis,*  
rum *L. 1. C. ad L. 7ul. Repetund.* De qua nobilissima ma-  
teria in foro Criminali frequentissima, multi quidem  
DD. sparsim aliqua tradiderunt; atenim, cum nemo,  
quod sciam, uno loco eam pertractaverit, constitui  
Disputationis Inauguralis loco eam exhibere: quod  
ut feliciter fiat, Summum Numen, ut conatibus hisce  
divinæ suæ gratiæ aurâ adspiret, enixè veneror.

SECT. I.

*De Societate in genere, & quomodo quis Soci-  
us Criminis constituatur.*

THES. I.

**Q**uod moris est in conscribendis Thematibus,  
ut vocum enodatio præmittatur, illud hic omit-  
timus; cum unicuique constet quid sit socius.  
Criminis verò vocem, quâ latissime patet, accipimus,  
ut & delicta vel quasi delicta comprehendat.

TH. II. Quemadmodum verò omnis vita nostra so-  
cialis est, ita quoque tam multifaria atque distincta socie-  
tatum genera dantur, & sæpe tam latè accipitur de  
quibuslibet, naturali vel civili ratione constitutis, per-  
sonarum conjunctionibus, *L. 1. ff. Quod cuiusq; univ. nom.*  
*L. 3. §. 4. ff. de Bon. possess.* vid. Rebhan. *Hodeg. Jur. Charta 3.*  
*Clim. 4. th. 16.* ut omnes, qui rem aliquam quocumque mo-  
do habent communem, Socii dicantur. Sic litis con-  
sortes, & unius criminis rei, etiam in Jure nostro Socii  
appellantur. Vid. Mantica *Tr. de Tac. & Ambig. Convent.*  
*L. 6. tit. 1. n. 4. seqq.*

TH. III. Cum verò omnis societas vel I. Jure consti-  
tuta sit; vel II. Consensu & facto partium; hinc illa  
divi-



dividitur in Naturalem & Civilem, Naturalis iterum in univerſalem & domeſticam.

TH. IV. Societas naturalis univerſalis eſt, quam natura conſtituit inter omnes homines, *l. 3. ff. de Juſt. & jur. Vid. Grot. de jur. bell. & pac. in Prolegom. §. 6. & ſeqq.* Domeſtica eſt, quæ familiam conſtituit, talis eſt conjunctio maris & fœminæ, quia eſt conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio, *L. 1. ff. de Rit. Nupt. & vocatur ſocietas vitæ in L. 52. ff. de Re Jud. L. 1. ff. de Adf. rer. amot. L. 32. §. 24. ff. de Donat. int. vir. & ux.* Hinc uxor rei humanæ & divinæ domus ſocia appellatur in *L. 4. C. de Crim. expil. hered.* ut non immeritò fuimus Pontifex *cap. 2. x. de Sponſal.* argumentetur à ſocietate ad matrimonium. Petr. Greg. Tholoſan. in *Synt. Jur. Univ. lib. 9. cap. 4. num. 1.*

TH. V. Talis quoque ſocietas eſt ſanguine junctorum, ut parentum & liberorum *L. 11. C. Commun. utr. jud. & fratrum.* Et alia longè eſt, quæ voluntarium conſortium dicitur in *L. 52 §. 8. ff. pro Socio.*

TH. VI. Societas Civilis eſt inter ejusdem civitatis ci- ves: quanquã & illa dici ſocietas civilis poſſit, quæ factò hominum vel lege civili conſtituitur; ut quoties res ali- quæ communis eſt; uti & exemplum eſt in conforti- bus ejusdem litis, qui in *cap. 9. X. de Conſtit.* ſocii nuncu- pantur; ſic & ii quibus eadem res legatur ſocii nomi- nantur *§. 3. Inſt. Obl. quæ quæſ. ex contr.* ſimiliter is, qui rem donationis titulo accepit ab Imperatore, vocatur ſo- cius Imperialis liberalitatis, in *L. 1. C. Si liberal. Imper. Soc. ſine hered. dec.*

TH. VII. Sed & Jure Civili & Statutis quam plurimo- rum locorum varia in Civitatibus conſtituta ſunt Col- legia & Societates tolerantur licitæ, quia civilis ſocieta-



4 *Disputatio Juridica Inauguralis,*  
tis pars sunt, & beator Respubl. censetur, in qua magis florent commercia & societates fructiferæ. Hinc Collegia opificum honesta hodiè à Principe solent confirmari: Es pflegen die Innungen und Zünfte von dem Ober-Herren confirmirt werden. vid. *L. 1. pr. ff. Quod civ. univ. nom.* Carpz. *P. 2. C. 6. def. 9. num. 3.* ex quo etiam Magistris Collegiorum den Zünfte-Meistern potestatem aliquam coërcendi multamque civilem irrogandi concessam videmus. Conf. Adr. Bajer. *Scient. Jur. Opificiar.* Carpzov. *Lib. 1. Resp. 48. num. 4.*

TH. VIII. Recensitis superiùs societatum speciebus quæ Jure constituuntur, jam sequitur ut dispiciamus quomodo societates consensu & facto partium confluantur & quomodo pacto plures inter se societatem contrahant.

TH. IX. Hæc Societas est conventio, quâ agitur de communicando invicem rei vel negotii honesti lucro ac damno. *L. 57. ff. pro Socio.* Dividitur verò in Universalem & Particularem.

TH. X. Societas Universalis iterum est vel OMNIUM BONORUM quâ omnia bona & onera, ad quæ socius tenetur (modo ne è delicto suo) communia sunt: *L. 52. §. fin. ll. seqq. ff. pro Socio.* vel OMNIUM NEGOTIATIONUM, quâ sola ea quæ quæstus causa fiunt, communia sunt, & hæc in dubio contracta intelligitur. *L. 7. ff. pro Socio.*

TH. XI. Societas Particularis est certarum rerum vel negotiorum. *pr. Inst. de Societate.*

TH. XII. Sic & pactis variis modis constitui aliæ Societates possunt.

TH. XIII. Quæ pacta cum sæpe ad illicitum finem tendant, nunc videbimus an criminum quoque; ulla societas esse vel contrahi queat, sc. ad eum effectum, ut jus & obli-



& obligatio inde inter socios oriatur? Affirmandum hoc videtur, quia hic conventio fit per pacta inter socios criminis, ut id quod ex sua improbitate & factis illicitis acquirere, inter eos commune sit, & sic aliqua obligatio inter eos oriri videatur; Hinc etiam in Jure nostro expressè socii vocantur criminis in *cap. 1. in fin. X. de Confess. l. 37. C. de Liberal. caus. l. 1. C. de Custod. reor. l. 11. de Testib. & passim.* Heft. Felic. Tr. de Communione seu Societate in *Proam. n. 30. seqq.*

TH. XIV. Negativa tamen sententiæ prior est, quia ex supra tradita definitione Societatis constat, quod societas non fit, nisi rei vel negotii honesti. *L. 57. ff. pro Socio.* Hinc nulla exinde societatis obligatio oriri potest, quia societas criminum est res turpis ac pessimi exempli, quarum nulla est obligatio. *cap. Non est obligatorium 58. de R. J. in 6. adeoque aut nulla societas delictorum datur, l. 1. §. 14. ff. de Tut. & rat. distrah. l. 70. in fin. ff. de Fidejussor. aut turpis ac fœda vocatur in l. 53. & l. 57. ff. pro Socio.* Paria enim sunt societatem turpem vel nullam esse. *arg. l. 6. ff. Qui satisd. cog.*

TH. XV. Si tamen in crimen aliquod plures concurrant, obligatio oritur ad pœnam, non quidem ex societate inter se inita, sed ex delicto. Ratio est, quia pœna est æstimatio delicti, *l. 41. ff. de Pœn.* & debet tenere suos autores. *l. 22. C. de Pœn.* & qui consentit in antecedens, scil. delictum, ille quoque necessariò consentire censendus est in consequens, quod est pœna.

TH. XVI. Est verò Societas Criminis factio & illegitima plurium ad perpetrandum facinus quodpiam conventio & conspiratio.

TH. XVII. Fiunt verò Socii criminis (1) si communitè committunt idem delictum, & sic per consequens



se quoque obligant ad communicationem pœnæ, quia omnium actio causa pariter damni & injuriæ est, ac tot sunt obligationes & delicta, quot sunt personæ delinquentes, quarum omnium factum idem est. Vid. B. Dn. Brunnem. in *Disp. de Plur. person. obligat. cap. 5. §. 4.* Ampliatur hoc, ut idem sit si communiter omnes per unum socium committant delictum, quia sic singuli fecisse censentur, dum singuli in culpa fuere, nec interest an mediatè committant, an immediatè.

TH. XVIII. (2) Si socius alteri delictum mandat, quia sic mandans est causa delicti ac damni; nec interest, utrum ipse faciat, an jubeat & curet ut fiat: *l. 11. pr. l. 15. §. 8. l. 17. §. 7. ff. de Injur.* dum unus per se, alter per alium delinquit. E. G. Jubeat quis, ut alius furtum faciat, hujus actionis causa principalis est is, qui jusfit, non qui furtum fecit, si aliter non fecisset, & à mandante est actionis initium. Hillig. ad Donell. *lib. 15. cap. 31. lit. Aa.* Hinc mandatum hoc verissimum est delictum vel injuria, & tenetur ex eo mandans ad reparandum damnum, æquè ac alter, qui fuit instrumentum. Ac plus ferè confert mandans ad delictum quàm mandatarium; ille enim delinquit (1) in se ipsum (2) in mandatarium, & (3) in eum cui per delictum damnum inferitur. Prosp. Farinac. *Prax. Crim. qv. 135. n. 6. seqq.* Mascard. *de Probat. Vol. 3. Concl. 1016. n. 1.* Nec Obst. mandatum non esse, nisi honestum? Nam Resp. nec obligatio hic oritur ex mandato, sed ex ipso delicto ad pœnam. Ampl. ut hic quoq; sub mandato jusus comprehendatur, quæ duo quantum ad imputationem delicti eodem jure censentur.

TH. XIX. (3) Si permittat cum prohibere possit & debeat; quæ duo conjunctim requiruntur. Grot. *de*  
 J. B. G



*J.B. & Pac. L. 2. cap. 21 §. 2.* Si verò alterum horum requi-  
 sitorum deficiat, uti si non tenebatur accurrere ac pro-  
 hibere, conveniri ideò non poterit. *l. 91. ff. de Furt.* Uti  
 aliquando in Supremo Consilio Stat. Pal. decisum re-  
 fert Illustr. Dn. Præses, Patronus ac Promotor studio-  
 rum meorum ætatem piè colendus, in Colleg. ad Grot.  
 de J. B. & P. in causa dura, ubi quidam in Nicro flumi-  
 ne natantes perierant, adspectantibus aliis ad ripam,  
 qui servare eos potuerant; quod, etsi res impiissima,  
 attamen propriè injuria vel crimen non fuit. Et sic nec  
 possunt illi, qui non prohibent, cum non teneantur,  
 dici focii criminis. Obst. *c. 6. §. 2. X. de Homicid. ibi. qui po-  
 tuit hominem liberare a morte, & non liberavit eum occidit.*  
 Resp. Casus ibi proponitur non de iis, qui tantum non  
 prohibuerunt occidi, sed qui prohibuere ne quis occi-  
 sores impediret, & ideò suspecti fuere, quòd cum ho-  
 micidis conspiraverint, & societatem occultam inierint.  
 Accedit, quòd & occidere dicatur, qui alimenta negat.  
*l. 4. ff. de Agn. & alend. lib.* quod tamen de nullo alio intel-  
 ligitur, quam qui debet alimenta: & sic homicida est,  
 qui non liberat à morte cum debeat. Denique non de  
 jure intelligi dictum illud debet, sed de officio hominis,  
 quo homo hominem diligere, juvare & cõservare debet,  
 pietatis & caritatis officio; non tamen eo omisso, reus  
 fit criminis. Sanè, nimis impium esset, si quis homi-  
 nem, què perire videt, & liberare absque ullo peri-  
 culo poterat, perire passus sit: quæ impietas quoque  
 arbitraria quadam pœnâ affici poterit. Si verò quis  
 criminis conjurationis conscius fuerit, & potuerit ei  
 obsistere, nec tamen in tempore detegat, habetur pro  
 socio criminis, si atrox crimen sit, uti est Crim. læs.  
 Majest. quod detegere debet, imò cogi potest. Vid.

Dorn-



Dornsperg. *Syntag. Jur. pag. m. 10.* Sed & si tenetur defendere, nec facit, plane peccat. Hinc Cicero *Lib. 1. offic. cap. 7. Qui non defendit aut obsistit, si potest, injuria, tam est in vitio, quam si parentes aut amicos aut patriam deserat.* Conf. Bachov. *de Action. D. 8. th. 18. p. 137.* Si tamen quis imbecillitate impeditus non venerit ad prohibendum, ille excusatur: *l. 1. §. 10. ff. Quod vi aut clam.* & qui scit, nec prohibere potest, crimine caret. *arg. L. 50. ff. de R. J.*

TH. XX. (4.) Si socius socio consilium det, sine quo alter facturus non fuisset. Quanquam unicuique liceat consilium suppeditare, cum nulla exinde obligatio oriatur, & liberum accipienti sit, apud se explorare, an sibi expediat. *§. 6. Inst. de Mand.* Si tamen consilium sit fraudulentum (quale omne id quod datur ad speciale delictum) ita ut cum singulari quadam persuasione & instigatione conjunctum sit, absque quâ quis aliâs, quod fecit, facturus non fuisset, nisi consilium mandantis secutus fuisset, tunc firmissime mandantem obligat, eumque verum criminis socium constituit. *d. §. 6. Instit. l. 6. §. 5. l. 32. pr. ff. Mandati.* Exemplum hujus notab. quod in vicinia hujus Civitat. contigit refert Illustr. Dn. Stryk. *Disp. de Imputat. facti alieni cap. 5. n. 59.* *cujus verba hic transcribere liceat. Ancilla ob negligentiam alapas à Domino acceperat; & postea ad cauponem illius pagi missa erat, ut emeret cerediviam: Ille caupo cum plorantem videret ancillam, interrogabat, quid causa lacrymarum subesset? Hac regessit, se ob levem causam alapis gravissime affectam esse à Domino: ad quod caupo; si tuo loco essem, & talia mihi contingerent, ignem submitterem horreo domini. Ancilla tacens, nec quicquam ad hac regegens, Domino reportat cerediviam, & hora spatii vix elapso ignem horreo immittit, quo ipso aliquot aedificia misere consumpta.*



*pta.* Ad hoc Amplisf. Facultas. Juridic. hujus loci respondit, cauponem ut verum socium criminis capite puniendum & postea concremandum esse; cum primis quia ancilla ferio dolebat, se ab illo tale vindictæ genus audivisse, quod ipsi alias in mentem venturum non fuisset. Idem est, si tale consilium cum persuasione conjunctum, cum sic magis invitet ad delinquendum. *l. 16. in fin. pr. ff. de Pœnis.* Non etiam si quis in genere hortatus est. Illustr. Dn. Præfes in *Hypomnem. Instit. tit. de Obl. quæ ex del. §. 10.*

TH. XXI. Fit quoque quis socius criminis alijus (5.) si participet sciens, idq; lucrandi animo, quia ita re ipsa se socium declarat, atq; in idem delictum consentit, dum actum suum cum alterius actu conjungit. Conf. Zanger. *de Tortura cap. 2. num. 188.* Aliud est, si ignorans participet e. gr. de re furtiva, quam talem esse nescit, quia sic deficit delicti causa & animus se ad delictum ac pœnam obligandi. *arg. l. 53. pr. ff. de Furt.*

TH. XXII. Deniq; (6.) si quis facinorosos seu delinquentes abscondendi causâ in suo vel alieno sciens receptet atq; celer, quia & sic se consortem profiteatur ac delictum approbat. Conf. *artic. 40. Const. Crim.* Nec simile crimen est, rapere ac raptorem cum re v. gr. furtiva celare, *l. 9. C. ad L. Ful. de Vi publ. l. 48. §. 1. ff. de furt.* juxta vulgatum *der Håler ist so gut als der Stehler.* Inde fit ut receptatores delinquentium eadem interdum pœnâ afficiantur. De quib. vid. Marcius *in notab. l. 1. ff. de Recept.* *Pessimum genus est receptatorum sine quibus nemo latere diu potest. Et precipitur, ut perinde puniantur atq; latrones. In pari causâ habendi sunt, qui cum apprehendere latrones possent, pecuniâ acceptâ vel surreptorum parte dimiserunt.* Conf. *l. 13. in f. pr. ff. de*

B

Offic.



*Offic. Praef. Menoch. Lib. 2. A. J. Q. Centur. 4. cas. 349. n. 21.*

TH. XXIII. An verò quis ob solam scientiam delicti vel facinoris, quam habet, possit dici socius criminis quæritur? & Resp. Neg. E. G. vicinus meus scit in ædib9 meis furtum fieri, hic tamen, si non impedit furtu, causa furci non est, *d. l. 48. §. 1. ff. de Furt. nec injuriam committit, quia (1.) hic alteri ex nulla causa tenetur, nec alter quicquam juris habet in alterum ejusq; act9: (2.) quia vicinus tacendo quod scit, nulla in re excedit fines sui juris. (3.) Quia ne naturâ quidem tenetur revelare vel accusare id quod scit. l. un. C. ut nem. in vit. ag. vel accus. cog. l. f. C. de Usur. pupill. Conf. Carpzov. Prax. Crim. P. 3. qv. 104. n. 50. seqq.* Quanquam pié & laudabiliter faciat, si vicino succurrat, vel crimen deferat ad judicem; hoc verò virtutis est, non juris. Obs. *l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* ubi is qui conjurationem reticet, licet non sit consors, tamen ex reticentia tenetur. Resp. hoc specialiter constitutum est in L. Jul. Majest. in securitatem Reipubl. & juris civilis est. Triste hujus rei exemplum præterito seculo fuit in Thuani filio, digno tanto parente, qui anno 1642. ideò occisus est quòd conjurationem à Domino le Grand seu de Cinq Mars sibi clam ex familiaritate significatam non publicasset, eademq; pœnâ affectus fuit, quâ conjurationis Autor. vid. *le Journal du Cardinal de Richelieu Tom. 2. p. m. 359.* Eodem modo qui solummodo conscius est parricidii ex L. Pompeja punitur. §. 6. *Inst. de Publ. Judic. l. 2. l. 6. c. 7. ff. ad L. Pompej de Parricid.* Menoch. *A. J. Q. L. 2. Cent. 4. c. 356. n. 24.*

TH. XXIV. Quid verò si comperiat, aliquem delictum postmodum ratum habuisse, an sic connumerandus erit inter socios criminis? Resp. Neg. quia con-



consummato sceleri nihil addit vel datrahit ratificans; & licet alias ratihabitio etiam in maleficio mandato comparetur, *l. 152. § 2. ff. de R. J. l. 1. §. 14. ff. de Vi & vi arm.* quia tamen ad delictum non concurrit ullum, sed deinde demum accedit ratificantis factum, *c. 9. de R. J. in 6.* hinc talem effectum hic non producit.

TH. XXV. Huc quoque spectant delictorum laudatores, qui focii criminis non sunt, quia laudando delicto causam non dant. Distinguendum tamen, an quis laudet ex. gr. furtum jam, factum an faciendum; *in faciendum*, tunc firmat hæsitantem & concurrat in facto & actione ut socius criminis, non enim oportet laudando augeri malitiam, ut dicitur *in l. 1. §. 4. ff. de Serv. corrupt.* Si verò *jam factum*, tunc laudatio est assentatio, nec per eam constituitur quis socius criminis, nec inducit hæc ullam obligationem ad damnum reparandum, quia non potest dici causa furti, quod jam factum est: per naturam enim causa non potest esse posterior effectui. Eatenus tamen ipsis imputandum, quod malum alterius propositum laudaverint, & sic alterum deteriorem fecerint *d. l. 1. §. 4. ff. de Serv. corrupt.* Conf. *Disp. de Delicto servi alteriusve hominis corrupti, ejusq. judicio. P. 2. cap. 3.* habita olim ab Illustri. Comite de Schwerin, nunc Regio Ministro Status Intimo &c. &c.

## SECT. II.

## De Pœnis Sociorum Criminis.

## THES. XXVI.

**P**ostquam vidimus qui sint focii criminis, & quod dupliciter inter se constituantur, consequens est, ut singulorum pœnas quoque perpendamus. Et

B 2

constat,



constat, eorū, qui communiter idem delictum committunt, eandem esse pœnā: qui enim communiter delinquit, communiter punitur, quia ipsum non fugit, crimē puniendū esse, & quod facit, fieri non oportere. *l. 121. l. 155. pr. ff. de R. 7. & hoc casu totum factum omnes voluisse censentur. Excell. Lauterb. Diss. de Voluntate th. 9. n. 8. in Volum 3. Disputation. Tubingens.*

TH. XXVII. Sic communiter delinqvunt, qui communicato & deliberato consilio aliquem occidunt, vel in necem alterius conspiravere, sibiq; mutuam opem & auxilium singuli tulere: quo casu, cum nemo eorum sit innocens, sed par omnium ratio, hinc omnes pœnā ordinariā & capitali supplicio afficiendi sunt. *artic. 148. in pr. ibi, dieselben Thäter alle haben das Leben verwircket. Const. Crim. Car. V. Damhoud. Prax. Crim. cap. 76. n. 27. etiam si unum vulnus tantum fuerit inflictum, nec de ejus autore constat; quia omnes in eadem causa sunt, vid. l. 3. pr. ff. ad L. Jul. de vi publ. Jul. Clar. Lib. V. §. Homicidium n. 37. v. primus est. Gilhaus. Arb. Jud. Crim. cap. 2. tit. 12. n. 20. Berlich. P. 5. Concl. 11. n. 49. ibiq; alleg. DD. Secus tamen est, si mors non secuta fuerit, quo casu, licet animum occidendi habuerint, solummodo extraordinariē puniuntur. Gomez. Var. Resolut. Tom. 3. cap. 3. n. 36. Carpz. Pract. Crim. qu. 25. n. 17. seqq.*

TH. XXVIII. Aliter comparatum est cum delicto, quod non ex dolo, sed ex improviso & in rixa ortum est.

TH. XXIX. Quod si plures unum lethaliter vulneravere, ita ut vel statim vel brevi post ex vulnere mortuus sit, tunc vel (1.) liquidò constat, quisnam ex pluribus tale vulnus inflixerit, aut occiderit, & tenetur solus hic de homicidio; *l. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. artic. 148.*



v. So aber etliche Personen. *Nemes. Carol. Didac. Covarruv. Tom. 1. in Clement. Si furiosus. de Homicid. Part. 2. §. 2. num. 3. v. secundus casus. & solus vicissim expectat, quod alteri fecit. l. 3. C. de Episc. aud. Cæteri autem socii, qui occisum vulneraverunt, sed non lethaliter, extra ordinem puniuntur. d. artic. 148. v. Über der ander Beyständev/ Helffer und Ursacher. Gail. L. 2. Obs. 109. n. 2. Jul. Clar. §. Homicidium n. 41. Vel (2.) certò non constat de eò qui vulnus mortiferum infixit, & tunc omnes vid. l. f. ff. ad L. Cornel. de Sicar. civiliter de occiso tenentur, l. 11. §. 2. ff. Ad L. Aquil. non verò criminaliter: sed si veritas per torturam erui non potest, vid. Oldekop. Obs. Crim. tit. 4. Obs. 17. n. f. arbitrariè & extra ordinem, vel pœna pecuniaria, carcere, relegatione, aliâve puniendi sunt: Carpz. P. 1. qu. 25. n. 3. seq. melius enim est nocentem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare: l. 5. ff. de Pœn. & fatius est misericordiæ quàm crudelitatis rationem reddere. Moller. in Semestr. L. 1. cap. 33. in f. Quomodo Jus Saxon. hic differat vid. Speckhan. cent. 1. qu. 42. Sigism. Fach. in Colleg. Crimin. Diss. 7. th. 18. Vel (3.) plures simul aliquor vulnera lethalia alicui inflixere, ac de vulneratoribus etiam constat, sed quodnam vulnus primum fuerit illatum, & quisnam primò vulneraverit, dubitatur, & tunc obtinet pœna L. Cornel. de Siciariis, ac omnes qui vulnera lethalia occiso infixere, gladio puniendi sunt. d. artic. 148. v. Währe aber. Ordinat. Crim. Berlich. P. 4. Concl. 11. n. 33. & 34. Carpz. d. qu. 25. n. 24. 27. seqq.*

THES. XXX. Quær. Si omnes vulneraverint, sed non lethaliter, ex iis omnibus autem vulneribus mortuus, an teneantur omnes, aut quidam eorum ex L. Cornel. de Sicar? Resp. Nullus exinde tenetur, quia



nemo suo facto occidisse dici potest, ideoq; iniquum videtur, ut ob aliorum concurrentia facta supplicium patiantur; quamvis omnes actione civili pro arbitrio iudicis de occisione teneantur. *arg. d. l. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. Carpz. d. l. n. 41. seqq. Gilhaus. Arb. Crim. cap. 2. tit. 12. n. 21. Menoch. A. J. Q. Cent. 4. cas. 362. n. 15. & 16. Farin. qu. 96. n. 35. & 40.*

TH. XXXI. Pari modo in delictis privatis fures communiter delinqvunt, si unanimi consensu & facto suo furtum committunt. Hinc omnes in solidum tenentur, & potest actor vel omnes convenire, vel unum, etsi unus solus tollere non potuerit; sed unius solutio (scil. dupli vel quadrupli) ceteros à pœna liberat. *l. 21. §. 9. ff. de furt. l. 15. §. 2. ff. Quod vi aut clam. arg. l. 7. in f. l. 9. ff. de Furtione*: At si plures arborem furtim ceciderint, pœna unius alterum non absolvit. *l. 6. princ. Arb. furt. cas. arg. l. 9. ff. de Jurisd.* Idem est in rapina, cum improbiores dicantur fures: *l. 14. §. 12. ff. quod met. caus. arg. l. 1. ff. de vi bon. rapt. l. 54. C. de Episc. & Cler.* Hodie quoque, postquam propter nimiam furtorum frequentiam ultimum supplicium in quibusdam casibus constitutum est, cæteris paribus, & concurrentibus legum requisitis, omnes pœnâ laquei sunt afficiendi. *Berlich. P. 5. Conclus. 43. n. 116. v. Si verò criminaliter Conf. Carpz. P. 2. qu. 79. n. 14.* Si tamen plures de furto participant, non videtur magnum esse furtum, nisi tanta quantitas sit, ut cujusque portio excedat 5. solidos. *Vid. Disp. de Proport. furt. & laq. sub Dn. Præf. habita.*

Sic quoque auxiliatores actione furti tenentur. *l. 54. §. 4. ff. de furt. l. 34. l. 50. §. 1. cod.* An verò & quando talis auxiliator pœnâ laquei puniri possit, à DD. controvertitur, & communiter distinguenda censent tria tempora,



tempora, ante delictum, in delicto, & post delictum.

Si ante furtum alicui dolose auxilium cooperativum manu sua praestitit, ut aliquid lucretur, & exinde participaverit quoq; ultra quinque solidos, locum habet poena furti magni. *Philippi in Usu Pract. Institut. L. 4. tit. 1. Eclog. 6.*

Idem juris est de auxilio in ipsa contrectatione sine actu furandi, *vid. l. 52. §. 19. ff. de furt. dolose praestito, quod actionem furti operatur, l. 36. §. 1. ff. de furt. l. 1. C. de Conduct. furtiv. l. 51. §. ult. in f. ff. ad L. Aquil. imò & poenam ordinariam coerceri solet.* *Damhoud. Pr. Crim. cap. 101. n. 5. Berlich. P. 5. Concl. 55. n. 20. Carpz. in Pract. Crim. qu. 87. n. 19.* Quod si unus sociorum interim excubias agit, die *Wache hält* dum caeteri socii furtum faciunt, si de rebus furtivis tantum participavit, quantum alias ad poenam laquei dictandam sufficit, suspendi caeteris paribus potest, & hoc specialiter in foro Saxon. receptum. *P. 4. Const. 30. Carpz. d. qu. 87. n. 34. seqq.*

Idem est, si causam proximam dedit furto, E. G. scilicet scienter accommodando, ferramenta praebendo: Si tamen nihil participaverit de furto, poenam ordinariam puniri non potest. *Berlich. d. l. num. 36.*

Quando vero auxilium post furtum commissum praestitum est, tunc auxiliator nullatenus suspendii supplicio, sed poena initiori & extraordinaria pro arbitrio iudicis puniendum esse constat. *l. 1. in f. C. de his qui latron. l. 40. ff. de Pen. l. 13. in f. pr. ff. de Offic. Praef. et si quoq; aliquid ex furto participaverit.* *Farinac. Oper. Crimin. P. 5. qu. 132. n. 1.* Sic auxilium post maleficium quis praestat, quando fugienti auxilium ad deviandum praestat, *l. 1. §. 2. C. de his qui latron. Boët. Decif. 167. n. 4. in f. vel furi equum ad se salvandum scienter commodat.* *Farinac. d. l. n. 13.*  
qui



qui tamen eâdem pœna non punitur, quia talis auxiliator propriè non potest dici auxilium præstitisse in furto, sed ad fugam. Jul. Clar. *Recept. Sentent. Lib. V. §. f. qu. 90. n. 2.* Carpz. *qu. 87. n. 37.*

TH. XXXII. Cum etiam mandans crimen & mandatarius socii criminis sint, hinc quæritur; An mandans ad eandem pœnam, quâ mandatarius, teneatur? Et Resp. Aff. quia unus per se, alter per alium deliquit, nihil verò interest, utrum quis ipse faciat, an jubeat vel curet ut fiat per alium: *l. ii. pr. l. 15. §. 8. l. 17. §. 7. ff. de Injur. modò intra fines mandati manserit.* Hinc mandans non minùs ac mandatarius ultimo supplicio afficiendus, si alteri mandat homicidium committere, quia sic secuto delicto mandans mortis causam proximam dolo malo præbet, quod perinde est, ac si ipse occidisset: *l. 15. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 11. §. 3. ff. de Injur. l. 5. C. de Accusat. l. 169. de Reb. Jur. Ferrar. Pract. in forma Inquisit. p. m. 540. n. 9.* nec referre putant, utrum mandatarius aliàs suâ spontè illud perpetraturus fuisset, nec ne, Harprecht. *ad §. 5. Instit. de Publ. Judic. n. 77.* Clar. *Lib. V. Sentent. §. f. qu. 89. n. 1.* Æquius tamen est, mandantem à pœna ordinaria homicidii excusari quando certò scivit aut credidit, illum hoc sine mandato quoq; facturum fuisse. Carpz. *Pr. Crim. qu. 4. n. 29.* Quod si verò mandatarius limites mandati excesserit, mandans de facto illius neutiquam tenetur. Menoch. *Arbitr. Jud. Quest. L. 2. Cent. 4. cas. 352. n. 3.* nisi tale sit mandatum, quod ad mensuram exequi non potuit. E. G. *Er sollte Mevium halb todt schlägen/* hoc namque in potestate mandatarii non fuit, tam exactè fines mandati observare, quin excederet. Idem est, si jusit vulnerare, alter verò occiderit, aut ità vulneraverit, ut



ut exinde mortuus sit, et si expressè additum, ne occidat: *vid. Coroll. 2. Dn. Præs. Disputat. de Imper. in Pares in f. adject.* (Disf. Fachin. *L. 1. c. 36. Bronchorst. Miscell. Controv. asf. 65.*) quia vulnera ad mensuram non dantur, neque quis stateram in manibus habet, quâ ictus & vulnera ita ponderare possit, ne quæ lethalia infligat. Est quoque per se res pessimi exempli; Bachov. ad Treutl. *Vol. 1. Disp. 27. th. 3. lit. G.* nec animus occidendi hic requiritur, sed sufficit mandantem esse in dolo, & causam mortis dolosè præbere. *l. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Carpz. Pr. Crim. P. 1. qu. 4. n. 22.*

Aliud est, si jus sit verberare, E. G. si quis mandaverit aliquem baculo levi vel manu percutere, tunc si mandatarius occidat, mandans non tenetur penâ ordinariâ de homicidio: quia omnino tum excessit mandatarius fines mandati, quos servare potuit; *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 5. C. eod.* facile enim percutere poterat sine periculo vitæ, seque intra terminos continere, non occidere. *Clar. d. quest. 89. num. 5. Bachov. cit. loc.*

Mandatarii verò pœnam quod attinet, certum est eum ordinariæ pœnæ subjeci, cum rem illicitam & periculi plenam consultò in se susceperit, quæ ne ullam quidem facti excusationem secum fert, nisi parère habuerit necesè. *vid. Farinac. Pr. Crim. qv. 97. cas. 8. & 9. Berlich. Aur. Decis. 75. n. 4.* tunc enim ei in levioribus ignoscitur; *l. 157. pr. l. 167. §. 1. l. 169. pr. ff. de R. 3. l. 1. v. qv. cam l. 11. §. ult. ff. de his qui not. inf. l. 37. pr. ff. ad L. Aquil. Struv. Exerc. 22. th. 5.* in atrocioribus verò propter parendi necessitatem pœna mitigatur: *l. 20. ff. de O. & A. l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. vel priv. l. 2. C. de Sepulchr. viol. junct. l. 4. §. 11. ff. de Re Milit.* vel si mandatarius quod sibi in-

C

junctum



18 *Disputatio Juridica Inauguralis,*  
junctū est, declinare non potuerit. vid. Illustr. Dn. Stryk.  
*Disp. de Mandato Delinquendi Sect. 1. §. 18. seqq.*

TH. XXXIII. Sic quoq; ut socius criminis delinquit, qui id, quod prohibere potest ac debet, (quales sunt omnes, qui sub imperio vel potestate habent delinquentes) non prohibuit, sed sciens permisit. Et hoc casu tenetur ad reparationem damni, cum culpā non careat, qui scit & prohibere potest & debet, nec tamen prohibet. Grot. *de Jur. Bell. & Pac. Lib. 2. cap. 21. §. 1. n. 2.* Talem casum habet Brunnem. *ad l. 4. ff. de Noxal. Action.* quo Pastoris Ecclesiæ filius, puer adhuc, sciente & patiente patre sclopetum quod vocant, seu tormentum minus in pago incauté exploserat, ex quo vicinæ domus rusticanæ ignem conceperant, hinc patri ab hac Facult. Jurid. restitutio damni dictata. vid. Brunnem. *Cent. 1. Decis. 42. Clar. L. 5. §. f. qu. 86. n. 3. & qu. 87. vers. dictum est.* An verò ob omisam prohibitionem in homicidio dominus vel pater pœnā ordinariā puniri potest? Resp. Aff. cum enim hi potestate sua, quā gaudent in servos & liberos, delicto obfistere debeant, si possint, ipsi hoc non facientes consentire, & sic tacendo & patiando quoq; mandasse videntur. *L. Qui patitur 18. ff. Mandati.* hinc eadem jura quæ de mandato superius dicta sunt, hic obrinent. Idem est si mandatarius excessit fines mandati ad delinquendum præfente & nō contradicente mandante. Farinac. *qu. 135. n. 165.*

TH. XXXIV. Quæ sit pœna ejus, qui alteri fraudulentum consilium suppeditat, sine quo alter socius illud facinus non ausurus fuisset, nunc videamus? Illud verò obligatorium & consultori pessimum esse patet ex *l. 53. in f. de V. S. l. 16. pr. ff. de Pœn. l. 47. ff. de R. J. l. 62. de R. J. in 6.* cum gravius delinquat qui aliis peccandi



candi causam præbet, quam si quis solus delinquit; *Nov. 8. cap. 8. pr. &*, cum tale consilium degeneret in mandatum rei turpis, *l. 6. §. 5. ff. Mand.* hinc eadem iura hic quoque obtinent, quæ de mandante supra proposuimus. Conf. Menoch. *A. 7. Q. cas. 351. n. 17.* Damhoud. *Pr. Crim. cap. 116. n. 3. & cap. 133. n. 2. & 3.* Harpr. *Tr. Crim. ad §. Item Lex. Cornel. de Sicar. §. de Publ. Judic. n. 97.* Farinac. *Q. 129. P. 2. n. 26. & 27.*

Idem est in persuadente, qui itidem eadem pœnâ tenetur. E. G. Si quis servo alterius persuasit, ut res furtivas ad se perferret, idque dominus, ut eum in furto deprehenderet, permisit, tunc & persuadens actione furti, perinde uti fur, convenitur & servi corrupti actione tenetur. Dn. Præf. in *Hypomnem. Instit. tit. de Obl. que ex del. §. 6. pag. 127.*

TH. XXXV. Qui ut socius de delicto scienter & fraudulentè participat, ille quoque dignus est ut plectatur. An verò hic pœna ordinaria locum habeat, non omni caret dubio. Non desunt DD. qui illud affirmant, uti Prosp. Farinac. *Oper. Crim. P. 5. qv. 129. n. 35.* Jodocus Damhoud. in *Prax. Rer. Crim. cap. 116. n. 2.* Verior tamen est sententia eorum, qui iis pœnam extraordinariam, severiorem tamen, puta fustigationem ac perpetuam relegationem infligi debere asserunt: uti Carpz. in *Pract. Crim. qu. 87. n. 43. & 47. & in Jurisprud. Forens. P. 4. Const. 40. def. 6.* quia sui lucri causa hoc delictum jam tum commissum tantummodo approbant. An verò quis scienter & dolosè participaverit, vel res, v. gr. furtivas, ad se receperit, vendiderit, vel aliis modis latronibus & furibus adjumenta subministraverit, succurrerit, & patrociniatus fuerit, tormentis examinari potest. *artic. 40. in pr. Ord. Crim. Joh. Zanger.*



ger. de Quest. & Tort. Reor. cap. 2. n. 186. seqq. De Jure Saxonico si socius v. g. furti ex rebus surreptis tantum participaverit quantum ad pœnam mortis dictandam sufficit, non minus ac socius principalis laqueo punitur, etiamsi in ipso furto manum non admoverit: vid. *Const. Saxon. P. 4. Constitut. 39.* dummodo lucrum illud excedat quinq; solidos. Carpz. *ad d. Constit. def. 2. num. 3.* aliàs extraordinariâ saltē pœnâ punitur.

TH. XXXVI. Quæ sit pœna eorum, qui delinquentes ac homines facinorosos, E. G. fures, cum rebus furtivis scienter receptant, valdè à DD. controversitur. Alii enim tenent, hos eâdem pœnâ quâ ipsos fures afficiendos esse, moti *l. 1. ff. de Recept. l. 1. C. de his qui latron. vel al. crim. reos. occult. §. 4. in f. Instit. de Obl. qua ex del. l. 3. §. 3. ff. de Incend. ruin. naufrag. l. 6. §. 2. ibi qui furanti sinum præbuit. ff. ad L. Jul. Pecul. l. un. C. de Crim. pecul. l. 3. §. 12. ff. ad SC. Silan. l. 14. C. de furt. L. Congruit 13. pr. ff. de Offic. Præs. Stephani ad artic. 40. C. C. C. V. Damhoud. Prax. Crim. cap. 135. n. 2. Jul. Clar. in Præf. Crimin. §. f. qu. 90. n. 9. Zanger. de Question. cap. 2. n. 180. Zoes. Comment. ad ff. tit. de Recept. n. 1. Gail. de Pace Publ. L. 2. c. 10. n. 1.* Verùm hanc similitudinem pœnæ satis rigorosæ DD. communiter restringunt ad eos receptatores qui simul societatem aliquam criminis contraxerunt, & se principalibus associarunt, ita ut participant de consilio & lucro: Brunnem. *ad d. l. 1. C. de his qui latron. & ad l. 1. ff. de Recept. n. 2.* Hahn. *ad Wefenbec. P. 2. tit. ff. de Receptat. num. 1. vers. Alioquin.* Struv. *Ex. 48. th. 103.* Lauterb. *Compend. ff. tit. de Receptat. pag. 675.* Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. Lib. 37. cap. 15. n. 2.* & huc pertinet vulgatum illud *der Fehler und der Stehler haben einerley Verdammniß.* vid. Wehner. *in Obs. Præf. & Befold. in*

*Thesauro*



*Theſauro Pract. verb. Heſlev. it. Supplement. Speidel. Notabil. verb. Sprichwörter p. m. 392.* Alii eos extra ordinem arbitrio judicis, ut relegatione, *vid. l. ult. §. f. de Abigeis*, puniendos eſſe volunt, uti *Finckelth. Obſ. 117. n. 8. ſeqq. Carpz. P. 4. Conſt. 40. def. 6. & Prax. Crim. qu. 87. num. 51. Menoch. A. J. Q. caſ. 348. Idem de Preſumpt. Lib. 5. Praſ. nlt. n. 2. Gomez. Reſolut. Tom. 3. cap. 3. n. 50. Harpr. ad §. 4. Inſt. de Obl. quæ ex del. n. 22. verſ. melius quoq.*

Sed hos Dd. intelligendos eſſe de nudis ac ſimpli-  
cibus receptoribus patet *ex l. 3. §. 3. inf. ff. de Incend. ru-  
in. naufr. Conſtit. Crim. artic. 177. ibi aber in einem fall anders  
dann in dem andern. Carpz. P. 3. qv. 134. n. 41. ſeq. Lauterb.  
d. Diſſ. de Voluntate th. 9. n. 12. Brunnem. cit. loc.* Eos quo-  
que qui perſonas conjunctas, ut cognatarum vel affinem  
furem, latronem receperunt, cum id non ſtimulo ma-  
litiæ, ſed imperio affectionis feciſſe cenſeantur, mitius  
puniendos eſſe docet *l. 2. ibiq. Brunnem. ff. de Receptat. Mei-  
er Coll. Jur. Argent. lib. 47. tit. 16. th. 4. n. 2. Perez. ad Cod. tit.  
de hiſ qui latron. n. 3. Carpz. qv. 134. n. 48. ſeqq. Duaren. Com-  
ment. in tit. de Receptat. p. m. 822.*

TH. XXXVII. Si quis ſolummodo conſcius fue-  
rit criminis alicujus, regulariter poenâ aliquâ non te-  
netur, *l. 48. §. 1. ff. de Furt. Carpz. qv. 134. n. 60.* aut, ſi tene-  
tur, ſaltem extraordinariâ vel arbitrariâ poenâ afficien-  
dus eſt; *l. 2. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* quia ob ſolam ſcienti-  
am non fit quisquam ſocius criminis, uti *ſupra th. 23.* de-  
monſtravimus, neque regulariter aliquis cogi poteſt  
ut delictum accuſet: *can. Placuit 3. cauſ. 6. qv. 2. l. pen. ff. de  
furt. niſi jubeatur à Magiſtrato, aut legibus id cautum  
ſit, ut in delicto atrocifſimo per quod ſalus Reipubl.  
periclitetur, ſcil. Crim. læſ. Majeſt. item Parricidii & s.  
Conſ. Brunnem. Proc. Inquiſt. c. 4. n. 27.* Maxima quon-  
dam



dam fuit contentio circa hanc materiam inter veteres illos Antistites Iustitiæ, Bartolum & Baldum; Ille enim scriptum reliquit, solam scientiam sufficere ad pœnam læsæ Majestatis: Baldus verò ob hanc doctrinam animam Bartoli in inferno cruciari dixit. *vid. Jul. Clar. §. f. qv. 87. n. 2.* amborum sententiam ejusque veritatem excutit Matthæi *de Crimin. lib. 48. tit. 2. n. 23. seqq.*

TH. XXXIIX. Nec ille qui delictum jam perpetratum postmodum ratum habet, pœnâ aliquâ corporis afflictivâ puniri potest, cum per solam ratihabitionem delicti non fiat particeps ac socius, quia non est causa damni antea dati, sed summum levi pœnâ extraordinariâ. *Farinac. qu. 135. n. 63. Covarruv. in Clement. Si furiosus P. 2. §. 1. n. 5. Bajard. ad Clar. qv. 86. n. 23.*

Et licet ratihabitionis in jure nostro tanta sit efficacia, ut faciat negotium ejus, cujus antea non fuerat; *l. 6. §. 9. ff. de Neg. Gest.* imò & mandato aliquando comparetur, *c. 10. de R. F. in 6. l. 60. ff. cod.* hoc tamen solummodo verum est in contractibus & negotiis civilibus. Instas; Dicitum est *supra th. 24.* ratihabitionem etiam in delictis mandato comparari. *d. ll.* Resp. hoc verum est quoad interesse, ut loqvuntur, civile sive pecuniarium.

TH. XXXIX. Concurrunt quoque ad delictum alterius laudatores & assentatores, qui licet pœnâ aliquâ ordinariâ ut focii criminis puniri nequeant, non tamen immunes sunt à pœna extraordinaria, dum quodammodo in culpa sunt, & animum suum malevolum produnt. Quatenus verò delictum adhuc faciendum laudant & adprobant, eatenus hæc laudatio degenerat in malevolum ac fraudulentum consilium aut pervasionem, eademque jura & hic obtinent. *Conf. th. 34.*

TH. XL. Antequam hinc discedamus, excutienda venit



venit quaestio admodum dubia; An verba, *ope & consilio*, in §. 11. *Inst. de Obl. quæ ex delict.* conjunctim an disjunctim sint accipienda? Nos putamus verba illa disjunctim accipienda esse, l. 53. §. 1. ff. de V. S. l. 52. §. 19. ff. de Furt. & stricto jure alterutrum sufficere, opem vel consilium furibus v. gr. scienter & dolo malo præstitisse, modo præsupponamus non adhortationem generalem ad delinquendum, sed *consilium* speciale & cum aliqua instructione ad furandum; etsi enim & hoc sensu diversæ species sint, & aliud factum sit ejus, qui ope, aliud ejus, qui consilio furtum facit, d. l. 53. §. 1. de V. S. utrumq; tamen separatim eum effectum habet, ut quis tanquam verus socius criminis ordinariâ penâ puniri possit: Atque ita superfluum est, verba illa conjunctim requirere. Itâ nobiscum sentiunt Carpz. *Pr. Crim. P. 2. qu. 87. n. 2.* Tabor. *Crim. Definit. Racem. 4. th. 16.* Harprecht ad §. 11. *Inst. de Obl. quæ ex del. n. 3.* Borcholt. *Comment. ad Instit. d. §. 11.* Lauterbach. *Compend. ff. tit. de Furtis. pag. 653.* Ungepaup. *Exercit. Justin. 13. qu. 7.* Possunt tamen hæc duo *ope & consilio* etiam conjunctivè intelligi; quando scil. consilium tam generale accipitur, quod nihil opis vel instructionis ad furtum contineat. Cæterùm ἄν τὸ πλείον conjuncta esse solent, dum nemo videtur opem tulisse, nisi qui & consilium malignum, saltem implicitè habuerit, h. e. dolo malo & animo furandi opem tulerit. vid. *verba final. d. l. 53. §. 1. de V. S.* Inprimis verò in pœna corporali hæc duo, ope & consilio, conjunctim ex æquitate requiruntur, cum hic non agatur de glande legenda, sed de sanguine hominis profundendo.

## SECT. III.



## De Denunciatione Socii Criminis.

TH. XLI.

Quando itaque reus aliquis convictus & confessus de quodam crimine, ein überwundener Missethäter / quique in maleficio auxiliares habuit, der in seiner Missethat Helfer gehabt / in vinculis sive carcere aliquem socium nominat, Quam fidem hæc nominatio habeat & quale indicium exinde oriatur? Dd. hic admodum fluctuantur, nec inter se conveniunt. Nonnulli his confessionibus prorsus nihil tribuunt. Alii ex confessionibus duorum complicum sufficiens indicium ad torturam oriri volunt, quamvis alia adminicula non accedant. Alii hoc non aliter quam aliis indicibus accedentibus concedunt. Quidam existimant hanc confessionem à fociis factam ne quidem ad specialem inquisitionem sufficere, nisi stipata sit certis requisitis in artic. 31. Const. Crim. enumeratis Vid. Esbach. Nota & Addit. ad Carpz. Jurispr. Forens. P. 4. C. 2. def. 5. n. 8. Tabor. de Confrontat. Disp. 4. th. 1. 2. 6. 7. 8. Nos hanc ultimam opinionem cum Carpz. in Prax. Crim. P. 3. qv. 121. num. 20. & seqq. amplectimur. Distinguendum tamen censemur inter denunciationem simplicem & qualificatam, & in Ord. Crim. art. 31. juxta inscriptionem communem preced. artic. 29. quidem de indicio ad torturam sufficienti agi concedimus, si nempe requisitæ ibi qualitates concurrant, tutior tamen videtur esse sententia existimantium, hanc denunciationem tantum proficere (1.) ad instituendam inquisitionem; (2.) ad exigendam responsionem; ac (3.) etiam confrontationem: non etiam simpliciter ad torturam:

arg.



*arg. artic. 6. Ordin. Crim. Tabor. de Tortura cap. 4. th. 16.*  
Torturæ autem tum demum locum esse, si ex inquisitione, responsionibus & confrontationibus fortiora indicia emergant. *arg. h. artic. 31. pr. ibi. Argwöhnigkeit wieder den Besagten. vid. Disput. sub Dn. Præside habita de Fallac. Crim. Indic. Sect. 1. §. 31.*

TH. XLII. Referuntur verò *in d. artic. 31. Ordin. Crim.* quinq; requisita, quæ omnia copulativè existere debent, quæq; jam ordine exponenda sunt.

TH. XLIII. Primò requiritur ut interrogatio de complicitibus seu sociis criminis fiat à iudice in carcere vel tortura, & quidem in genere, ac sine suggestione: E. G. quis cum ipso fuerit: *h. artic. 31. vers. Daß er in gemein gefraget. arg. l. 1. §. 21. ff. de quest.* quia si in specie fieret interrogatio, hoc potius damnandam taperet suggestionem & nullius esset momenti. *vid. Disput. sub Dn. Præside habita, de Suggestion. earumq; jure, cap. 5. §. 29. Oldekop. Tit. 4. Crim. Observ. 10. n. 6.* Hoc tamen duobus modis limitatur. (1.) Nisi reus jam fateatur, se cum sociis deliquisse, & non exprimat eorum nomina, nam tunc potest interrogari & moneri, ut eos in specie nominet. (2.) Nisi præsumptiones & indicia particularia contra certam personam militent, quo casu specialis quoq; interrogatio non erit prohibita. *vid. cit. Disput. de Suggestion. cap. 5. n. 30.*

TH. XLIV. Quid autem si facinorosus spontè & planè non interrogatus socios aliquos nominet? Arbitrantur pleriq; ejusmodi nominationem omnino negligendam esse, quòd testis ultrò se offerens in jure suspectus sit. *vid. Consil. Argentorat. Vol. 2. Consil. 53. n. 20.* Enim verò accipiendum hoc videtur de effectu pleniore, ut scil. denuncians fidem faciat criminis. Menoch.

D

A. J. Q.



A. J. Q. *cas. 474. n. 49. seqq.* Interim tamen talis denunciatio planè contemnenda non est; *conf. Nov. 124. cap. 2.* cùm judici viam aperiat ad inquirendum & aliumentum alias informationes contra nominatum. *Clar. Lib. 5. Sentent. §. f. qu. 6. n. 5.* Brunnem. *Proc. Inquis. cap. 4. n. 32.* Reipublicæ quoq; interest crimina quantocyus detegi, nec primos istos gradus & adminicula investigandæ veritatis otiosè negligi. *Tabor. de Confront. Disp. 4. c. 2. th. 10. p. m. 400.* Nec dictum talis focii accipiendum ut dictum testis, sed tanquam denunciatoris vel notificantis, qualis & potest esse infamis, Brunnem. *Constit. 175. n. 15.* qui tantummodo viam sternit judici ad inquirendum; *l. 1. §. 26. vers. causâ cognitâ ff. de quest.* adeoque interest inter fundandam & inchoandam inquisitionem. *Tabor. ex Claro. cit. loc.*

TH. XLV. Deinde requiritur, ut interrogetur, de omnibus circumstantiis, quomodo, quo in loco, & quo tempore socius, quem nominavit, ei præstò fuerit, quos tractatus de patrando maleficio inter se habuerint: *cap. 6. pr. X. de Homicid. Carpz. cit. loc. Mascard. de Probat. Conclus. 1386.* ex hac enim interrogatione judici constare potest, an reus interrogatus verisimilia dicat, & an ei fides habenda sit, nec ne. *h. artic. 31. vers. Zum andern. Menoch. cas. 474. n. 58. 59. Zanger. d. c. 2. n. 64.* Communiter verò referuntur septem circumstantiæ vulgato versiculo:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*  
Wensfenbec. *in Paratitl. de Pœn. n. 8.* Alii octo afferunt; *Innocent. III. in c. 37. X. de Testib.* novem & ultra; alii decem constituunt; alii denique quatuordecim enumerant, certis versiculis comprehensas. *vid. Tabor. de Confr. d. c. 2. th. 11.*

TH. XLVI.



TH. XLVI. Tertium requisitum est, ut iudex inquirat, an inter reum nominantem socium & socium nominatum sint inimicitia, jurgia, aliave offensionis causa inter eos intervenerit: *vers. Zum dritten. h. art.* cum inimicorum quaestioni nulla fides habenda sit, quippe facile mentiuntur. *l. 1. §. 24. ff. de quaest. Auth. Si testis C. de Testib.* probata enim tali inimicitia, odio & rancore, non potest liquida, vera & sincera sperari à livido pectore depositio: *c. 7. X. de Accusat. l. 9. C. de his quib. ut indign.* dum inimicus inimico nocere velle & verbis & factis praesumitur, maxime si inimicitia capitalis intercedat; quae verò illa sit, arbitrio iudicis dijudicanda relinquitur. *Clar. §. f. quest. 24. num. 25. vers. item quaro.*

Limitatio tamen *in f. h. §. zum dritten.* adjicitur. *verb. Er zeige dann deshalb.* nisi denunciatus signa eximia & indicia verisimilia adferat, quibus demonstrat, se non tam odio, quam veritatis studio denunciationem facere. Possunt verò signa ac indicia talia elidi veritatis demonstratione: *l. 137. §. 2. in f. de V. O. cum & contraria praesumptio fortior excludat debiliorem. l. 25. ff. de Probat. arg. l. 27. ff. de in integr. restit.* Menoch. *de Praesumpt. Lib. 1. qu. 30. §. L. 5. Praef. 21. n. 22.* Signa ejusmodi Rhetores etiam faciunt triplicia, antecedentia, concomitantia, consequentia: ita eadem alicujus antecesserunt fortean minae & instrumenta, conjuncta fuere pugna, sanguis, clamor. consecuta sunt pallor, verba tertiatia, cursatio rursus prorsum, fuga: &c. *Tabor. ad h. artic. p. m. 401. th. 12.*

TH. XLVII. Quarto requiritur in denunciato ut talis persona sit, & iis moribus, quae de ejusmodi commissio merito in suspicionem venire possit. *h. artic. vers.*

D 2

zum



zum vierdten. Conf. art. 39. & 44. Const. Crim. ubi maximè ad famam & vitam ante actam recurrendum est. vid. Illustr. Dn. Stryk. *Disp. de Vita ante acta cap. 4. n. 24* quia semel malus, semper præsumitur talis in eodem scil. genere delicti. cap. 8. de R. J. in 6. c. 4. in f. X. de Pignor. c. 8. pr. de Heret. in 6. l. 5. S. 6. ff. de Re milit. Conf. artic. 25. §. Erstlich ob der Verdacht. it. zum vierdten P. D. G. Ord. Hornius in *Disp. Witteb. Anno 1692. habita: Semel malum, semper malum cap. 2. §. 14. & 36. in f. Jacob Ayers Historischer Proces. Jur. Belials contra Jesum P. 1. cap. 7. obs. 7.* Quod si verò de bona nominati fama constet, indicium ex nominatione rei ortum facillimè diluatur, Carpz. d. qu. 21. n. 35. in f. maximè quando socius nominans alios, de aliis delictis infamatus, aut homo infimæ fortis sit. Menoch. d. cas. 474. n. 42. & 54. Mascard. de Probat. concl. 1318. n. 16. & 17. Zang. de Tort. c. 2. n. 54. & 69. Steph. ad h. artic.

TH. XLIX. Quintum deniq; requisitum est, ne quid denuncians vel maleficus vacillet, aut confessionem mutet, sed constanter citra vim & vincula interrogatus in ea perseveret, ratificetq; dicta. h. artic. 31. v. zum fünfften. Crusius de *Indiciis Delictor. general. P. 1. cap. 10. num. 11.* cum certitudini nihil magis contrarium sit, quam variatio: *Clement. 1. de Renunciat.* nam si variet, vacillet, aut planè deposita retractet & revocet, perjuro haud abfimilis est: Carpz. cit. l. n. 36 & denuncia- tio nullum plane effectum pariet, quod variatio inducit suspicionem, si non falsi, utiq; incerti: *arg. l. 27. ff. ad L. Cornel. de fals. Tabor. d. l. th. 14.* Perseverare autem dicitur, quando non territus tormentis, sed extra tormentorum locum, illa non videns, perseverat & nominationem ratificat usque ad mortem. Zanger. d. c. 2.

num. 70.



num. 70. Farinac. L. 1. tit. 5. quest. 43. num. 138. Stephani ad h. artic. n. 8.

TH. XLIX. Hæc dicta sunt de confessione in alium concepta, deqve qvinq; requisitis legitimæ denunciationis judicialis, quæ gradatim ad torturam denunciati proficere possunt, uti *supra th. 41.* demonstratum est.

TH. L. Ex hac expositione *hujus artic. 31. Nemes Carol.* constat, non opus esse, ut in materia interrogandi reos de consuetudine differentiam faciamus criminum exceptorum & non exceptorum, uti faciunt Boërius, Brunnemannus, Carpzovius, Clarus, Crusius, Fachinæus, Farinac. Gomez, Gothofred. Gylmann. Mascard. Menoch. Paris de Puteo, Richter. Zanger, aliiqve Dd. passim, cum Imperator hic non distingvat inter delicta excepta & non excepta, sed interrogandi facultatem ad omnia delicta simpliciter extendat, ideoque satius est totum interrogandi modum arbitrio circumspècti judicis committere, qui requisita in h. artic. præscripta sollicitè curet ac observet, & si tutissimè ire velit, informationes Sapientum & Jctorum requirat, uti Imperator sæpius in Constitut. Criminali monet & sva-det d. *Disputat. de Suggestion. in fin.*

## SECT. IV.

*De Communicatione Pænarum.*

## THES. LI.

**C**ognata huic materiæ est Qvæstio: An ex delicto communitatis teneantur singuli? Et Resp. Vel ut singuli obligati sunt, v. g. si omnes ex facto suo conveniuntur, ut si omnes prædas egerunt, vel communi

D 3

muni



muni consensu quid expediverunt, & tum singuli tenentur ad injuriæ reparationem, licet membra esse desierint, quia cujusque actus est injustus. Vel ut Universitas, v. g. si quid à Senatu factum vel à toto populo per majora, & tunc si membra vel cives esse desierint, non amplius quoque Universitas obligata tenetur. *Illustr. Dn. Præs. in Colleg. ad Grot. L. 2. c. 21. §. 2.* Sive, uti *Jul. Clar. Lib. V. Recept. Sentent. §. fin. qv. 16. n. 7. seqq.* hoc exprimit, ad hoc ut civitas vel collegium dicatur delinquere & possit pro tali delicto puniri, non sufficit, quod totus populus vel omnes de Collegio aliquid faciant, sed necesse est, ut præceserit ad id consilii publici convocatio. Sed si omnes de Collegio vel Universitate, non prævia consilii deliberatione committerent aliquod delictum, tunc non punitur ipsa Universitas sive Collegium, sed illi qui deliquerunt, tanquam singuli. *Conf. Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. Lib. 8. cap. 3. §. 28. seqq. Gomez. Tom. 3. Resolut. cap. 1. n. 52. seqq. Didac. Covarruv. Variar. Resolution. Lib. 2. cap. 8. n. 9. Mascard. de Præbat. Concl. 1421. Farinac. Prax. Crim. Tom. 1. qu. 24. Gail. de Pac. Publ. L. 2. cap. 9.*

TH. LII. Non longè dissimilis à superiore est quaestio; An ex delicto Magistratus possint conveniri subditi? Et certum est hos ex delicto Magistratus obligari si in crimen consenserint, quia in pari causa sunt, dum omnium actio causa pariter damni & injuriæ est. *Grot. de J. B. & Pac. Lib. 2. cap. 21. §. 7.* Alias secus est: quod enim Universitas debet, singuli non debent; *l. 7. §. 1. Quod cujusq. Univers. nom.* multò minus his nocebit delictum Superiorum suorum. Ex facto tamen Principis tenentur & subditi seu cives, uti si justitiam denegasse dicitur alterius subdito, quo casu per Represalias



falias sæpius subditus pro alterius subditi delicto detineri aut puniri solet.

TH. LIII. Congruus hic est locus disquirendi, An ex delicto patris puniri possit filius aut cognati? Resp. Neg. quia nihil deliquerunt, unusquisq; autem pro suo debet mori peccato: *Deuter. 24. vers. 16.* nec filius debet portare iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii. *Ezech. 18. vers. 19. & 20. 4. Reg. 14. vers. 6. 2. Parall. 25. vers. 4. Gratian. in can. 6. 7. 8. caus. 1. qd. 4. c. 1. caus. 24. qu. 3. cap. 22. & 23. de R. J. in 6.* Criminis verò pœna culpam necessario præsupponit; obligatio enim ad pœnam ex merito nascitur, meritum autem quid personale est, quippe ex voluntate ortum habens, quâ nihil est magis nobis proprium. *Grot. de J. B. & P. Lib. 2. cap. 21. §. 12.*

Jus Civile quoque vult unumquemque ex suo admisso sorti subjiciendum esse, in *l. 26. ff. de Pœn. & sequi debere pœnam suam autorem. l. 22. C. de Pœn.* Idem in *cap. 2. X. de his quæ sunt a maj. part. capit. & cap. 2. X. de Constitut. Nov. 134. c. 4. ibi & non alios pro aliis it. alium pro alio. Conf. t. t. C. Ne fil. pro patre vel pater pro filio & c. & l. 2. §. 7. ff. de Decur. l. 14. in f. pr. C. de legit. hered. Carpz. Decif. Illustr. P. 3. Dec. 208. n. 15. & 16. & in Praxi Criminal. qd. 131. n. 2. seqq. Mev. P. 5. Decif. 117. n. 7. Didac. Covarruv. Variar. Resolut. lib. 2. c. 8. n. 1. Richt. Dec. 80. n. 25.*

TH. LIV. At verò Deus minatur se puniturum Parentes in sobole, & quidem usq; in tertiam & quartam generationem. *Exod. 20. v. 5. & cap. 34. v. 7. Deut. 5. v. 9. Jerem. c. 32. v. 18.* Nec desunt exempla, ubi ob delicta parentum liberi quoque supplicium sustinuerunt, veluti *Jos. 7. v. 24. & 25. Genes. 7. v. 21. & 22. Lib. 1. Reg. 11. v. 12. & cap. 14. v. 10. cap. 15. v. 29. c. 21. v. 21. & plur. aliis textibus, quos vide in*

Dist.



*Disp. Theol. Inaugurali Philippi Mülleri sub Praesidio Joh. Musaei Jenæ An. 1674. habita de Stupore Dentium è gustu Omphacis alieno: sive de Jure puniendi liberos propter peccata Parentum. Intent. 2. p. m. 7. seqq.* Resp. Hæc est pœna parentum qui peccarunt, non liberorum, his verò est instar calamitatis naturalis: nam pœna est privatio boni ob delictum, liberi autem hoc casu nihil deliquerunt; Imò liberi illi nec privantur jure suo per Deum, nam respectu Dei nihil nostrum est. Ergo respectu liberorum pœna non est, sed merus casus sive fors humana, quemadmodum si aliàs homo, Deo disponente, morte præmatura eripitur, morbis affligitur, vel à prædonibus spoliatur: ut non plus habere videantur, ac si pater ab initio pauper fuisset, vel ipsi bona naufragio amisissent, vel surdi aut cæci nati essent: illa enim cuiq; innocentissimo contingere possunt, quia omnia fiunt ex dispositione summi Arbitri, qui voluntate sua omnia moderatur; imo hæc sunt beneficia fortunæ, quæ Deus suo jure ac lubitu dare vel aufferre potest. *Illustr. Dn. Praeses in Disp. de Justitia Belli & Pacis in Statu Regni Portug. Sect. 2. qv. 5. Ejusd. Disp. de Obligat. Hered. ex delict. defuncti Sect. 4. th. 27.*

Objiciat aliquis: Cur igitur ob iniquitatem Parentis Adami omnes ejus liberi & posterii moriuntur? Resp. Mors illa in posteris pœna non est, sed status eorum naturalis: quod & Cicero testatur. *Orat. Catilin. 4. cap. 4.* Et Seneca ait: *Omnia mors ponit, lex est, non pœna, perire.* Deinde, posterii Adami, etsi non designaverunt illud peccatum, quod designavit Adam, tamen non sunt innocentes, sed cum puniuntur à Deo, id propriæ culpæ pœna est. Quam verò hereditate primi illius Parentis labem traxerunt, ea pariter dato sponse restituta



stituta est. *Add. Osiander in Glosf. latin. ad cap. 24. Deut. v. 16. Gisebert. in Deuteronom. Harmon. d. cap. 24. vers. 16. num. 312.*

TH. LV. Nec quicquam movet *L. Quisquis s. C. ad L. Jul. Majest.* eaq; repetita in *can. 22. caus. 6. qu. 1. & cap. 10. X. de Heret. & in A. B. cap. 24.* ubi filii ob crimen læsæ Majestatis à parentibus commissum privantur, (1.) domicilio, (2.) famâ, (3.) bonis, (4.) Vitâ ipsâ, sive dicuntur saltem digni, quibus vita auferatur. Tales quoq; sunt Macedonum Leges & aliarum Gentium. vid. Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. Disp. 32. th. 1. lit. K.* quæ non tantùm dignos supplicio filios censuerunt, sed & auferunt. vid. Dn. Præses in *d. Disp. de Oblig. Hæred. ex delict. def. th. 29.*

Nam Princeps potest alicui ea quæ ex jure quocunq; habet auferre duabus causis, vel in pœnam, vel ob necessitates Reipubl. Ergo, licet liberi nihil deliquerint, tamen Princeps potest eos prohibere vel interdicerè territorio suo, denegare honores ac dignitates, excludere ab hereditatibus, si id exigat utilitas publica, & Reipubl. securitas. Pauperes enim tantùm latrant, non mordent. Dn. Præses in *cit. Disp. de Justit. Belli & Pac.* Quantum jam ad duo priora, scil. relegationem & infamiam, nihil est in iis iniquitatis, cum hæc civilia sint: domicilium enim est beneficium civitatis quod auferri potest ex justis causis, nec cives quemquam etsi infontem admittere tenentur, nedum Læf. Maj. rei filios retinere. Sic etiam beneficium est civitatis, quòd quis capax sit honorum & dignitatum, quod itidem auferri potest, uti cum Lex illegitimè aut à vili parente (nedum perduelle) natos excludit à præmiis ac dignitatibus publicis & à juribus domicili. Sic

E

&amp; he-



& hereditates lege deferuntur, & licet liberi naturali jure heredes sint, tamen ob utilitates Reip. & militibus concessum est eos præterire, & lege Voconia filiarum, & antiquo jure civili filii emancipati exclusi fuere. Ultimatum verò, quod liberi digni censeantur supplicio, videri quidem iniquius potest, quia Princeps vel Civitas non potest subditis vitam auferre sine justa causa, uti ex delicto &c. ceu modò dictum est: hoc autem non apparet in filiis. Neq; Obst. ratio *d. l. 5.* quod metus sit, ne vestigia paterni criminis premant. Hæc enim ratio non videtur sufficere: cum & exilio & paupertate filiorum consultum videatur securitati Reip. nec pœna irrogari ob metum, injuriæ soleat, sed ob injuriam ipsam. Nec verò sufficit metuere crimen, sed probandum erit, esse commissum. Ergò ista pars legis quæ auferri liberis vitam posse statuit, vix abest ab iniquitate ac injuria; sed illa iniquitas excusatur vel pensatur securitate Reipubl. juxta illud: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, sed quod utilitate publica pensatur.* Hinc *d. l. 5.* admitti potest, in primis, quia tantum dicitur, quod digni sint supplicio, non verò quod supplicii affici debeant, & sic bonis, non vita privantur. Dn. Præses in Colleg. ad Grot. Lib. 2. cap. 21. §. 13. seqq.

TH. LVI. Illud denique non inconvenienter hic quaeritur, an ex facto famuli illicito dominus teneri possit? Resp. Dominus regulariter ex delicto famuli non tenetur, si scil. extra officium delinquat: *l. 4. pr. ff. de Noxal. Action. l. 3. §. 2. l. 7. pr. ff. Naut. Caup. Stab. l. 1. §. 5. ff. de Publican. can. 5. caus. 1. quest. 4.* Gail. L. 2. Obf. 21. n. 6. Mev. ad Jus Lubec. P. 3. Tit. 8. artic. 1. n. 26. quia iniquum censetur delicto alterius dominum innocentem gravari



vari & ulterius progredi metum pœnæ, quam reperitur delictum. *l. 22. C. de Pœn. l. 2. ff. quod vi aut clam. l. 5. §. 5. ff. de Nov. Opor. nunc.* Quod si verò famuli quid committant, circa officium domini, in quo eorum operâ dominus immediatè utitur in ihren besohlenen *Ambte* / tunc dominus exinde tenetur actione civili, si in eorum electione culpam admiserit: *l. 1. C. ad L. Jul. Repet. l. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. jct. l. 11. pr. ff. Locati l. 1. §. 5. ff. furti advers. naut. caup. stabul. l. 1. §. 1. ff. Si mens. fals. mod. dixer.* Lauterbach. *Compend. ff. in fin. tit. de Noxal. Action. pag. 148.* Mev. *ad Jus Lubec. cit. loc. Carpz. Prax. Crim. qu. 39. num. 53.* Bernhard. *Wurmser. Pract. Observat. Lib. 1. Miscell. Obs. 4.* Moller. *Lib. 4. Semeltr. cap. 18. n. 2.* uti si stabularius ignem aut candelam in stabulo negligenter custodit, tunc peccat circa officium & dominus exinde tenetur: sed si in alio loco culpâ stabularii incendium ortum sit, non tenebitur dominus, quia extra officium sibi injunctum iste delinquit. *Gail. d. l. n. 6. Conf. Decis. Elect. Saxon. Nov. 79. & ad cam Philippi Obs. 2. & Gothofred. Strausfii Disp. de Obligatione Patrisfam. in cujus ædibus incendium ortum. §. 13.* Sic quoq; Magister Postarum ex culpa ipsius scribæ, quem destinavit ministerio Postarum obligatur: Idem est in Publicani servo si ad ministerium vectigalis fuerit destinatus. *Ill. Dn. Stryk. Disp. de Imput. fact. alien. cap. 5. n. 81.* Menoch. *A. 7. Q. Lib. 2. Cent. 4. cas. 345.* quia ipse dominus sibi imputare debet, quod operâ malorum hominum utitur. *arg. l. 1. §. f. ff. Naut. Caup. stabul.* Nisi probare possit, se elegisse famulos qui tempore electionis probi ac fideles reputati fuerint, & vitæ integræ testimonium habuerint: enim dominus non tenetur. *arg. d. l. 27. §. 9. & 11. ff. ad L. Aquil. Eckhold. ad ff. tit. de*



Noxal. Actio. in fin. Græv. Lib. 2. Concl. 21. in Coron. n. 3.  
 Philippi ad d. Decis. 79. Obs. 2. n. 22. Si tamen famulus  
 aliquid flagitiosi committit ac facit occasione domini,  
 eoque sciante, censetur fecisse de ejus voluntate Me-  
 noch. de Præsumpt. Lib. 5. Præsumpt. 27. n. 15.

De iis verò delictis, quæ famulus facit Domino  
 inscio vel prohibere non valente, dominus non tene-  
 tur. Jul. Clar. Lib. 5. Recept. Sentent. §. f. quest. 86. num. 2.

De quo si dubitetur, juramentum purgatorium  
 deferri potest. Mev. P. 7. Decis. 228.

Tantum.

S. D. G.

ERRATA B. L. ita corriget.

Pag. 13. lin. 21. pro Fach. leg. Flach.

Pag. 16. lin. 18. pro de Reb. Jur. leg. Reg. Jur.

Pag. 22. lin. 13. pro summum leg. solum.





ULB Halle 3  
003 499 731  


*sb*


*VD 7P*











DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 29  
*de* 1701, 11a  
**Socio Criminis,** M/ 88

Quam  
*Divino Numinis Auspicio*  
EX DECRETO ET AUTORITATE  
MAGNIFICI JURISCONSULTORUM ORDINIS  
IN ILLUSTRIS HAC VIADRINA,  
PRÆSIDE

**DN. HENRICO COCCEJO,**

JURECONSULTO FAMIGERATISSIMO,  
AUGUST. ET POTENTISS. REGIS IN BORUSSIA  
ET ELECTORIS BRANDENBURG. CONSILIARIO, EIDEMq;  
AB AULÆ REGIÆ CONSIL. FACULT. JURID.  
ORDINARIO, PROFESS. PRIMARIO  
CELEBERRIMO,  
h. t. UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,

ANTEA  
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI  
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-  
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.  
PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

*Dn. Patrono, ac Promotore suo pio cultu aeternum debenerando,*  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA  
rite ac solemniter consequendi

*Die VII. Novembr. An. MDCCI. Horis ante- & Post meridianis.*  
Publico Eruditorum Examine submitter

**JOHANNES DIETERICUS à BROCK,**

Lebusiæ- Marchicus.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.

